



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. VIII. De libello, monitorio, & commissione, vel supplicatione, aliavè petitione, super causæ, vel judicii introductione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

rogationem obtineat, ut in sua particulari sede super executione literarum Apostolicarum infra advertitur: *infra in discursu executionis literarum Apostolicarum. & sub tit. de benef. disc. 91. & 92. ubi de hac materia extinctionis litis.*

22 Eadem distinctio inter lites, & causas temporales, vel prophanas, ac beneficiales, seu alias merè personales, & non transmissibiles, intrat circa illam extinctionem, vel cessationem litis, quæ resultat à morte unius ex colligantibus cum in beneficiabilibus tantum id verificabile sit cum suis declarationibus, in quibus in eadem supra insinuata sede executionis literarum Apostolicarum non autem in prophanis super bonis, ac juribus transmissilibus, in quibus hæres, vel successor, defuncti personam in univèrso jure repræsentat, ac si mors non contigisset, *infra eodem supra citato discursu.*

23 Cessat quoque, seu extinguitur lis per cessionem, seu renunciationem, ex generali regula, quod cedentibus jura sua non datur amplius ad ea regressus; Ad hunc tamen effectum intrat distinctio inter illos terminos litis, & causæ, qui aliàs pro synonymis habentur, ac promiscuè per Practicos adhibentur, quoniam per renunciationem liti, renunciatum non censetur causæ, id est juri, quod colliganti competat, quia nempe renunciatio illam instantiam, seu illud iudicium tantum percutiat, sive ad effectum inspiciendi, an intet, necne sumoniæ labes, quando pro huiusmodi renunciatione aliquid temporale reficiatur, vel dimitatur ab eo, cuius favore cessio, vel renunciatio fiat, *sub tit. de benef. disc. 70.*

24 De litis autem proficuo effectu favore unius ex colligantibus contra alterum super jure petendi alimenta, & sumptus litis, agitur in ejus particulari sede, *infra disc. 14.*

25 Atque in Curia quædam in colligantibus specialitas habetur, super pace, ac reverentia inter eos servanda, ut per Apostolicam Constitutionem, quæ *Alexandrina* dicitur, gravissimis poenis afficiatur ille colligans, qui alterum, vel eius defensores, verbis, vel factis offendat, *apud Farinac. conf. 67. lib. 1. apud Marchesan. de commiss. par. 1. fol. 1296.* Cum aliis quæ ad materiam litium in progressu insinuari contingit.

26 Alter quoque resultat effectus ex lite, quæ calumniosa non sit, in beneficiabilibus, ut uno ex colligantibus moriente, alteri superstiti debita sit subrogatio ad lites extinguendas, ne cogatur novum habere colligantem, ut in rerum beneficiabilium sede advertitur, *tit. de benef. disc. 50. & 92.*

27 Ibi quoque etiam agitur, quando lis dicatur calumniosa, quod etiam infra occasione refectionis expensarum insinuat, *ibidem & infra in eo discursu. in quo agitur de expensis.*

28 De litis autem cessatione per rem judicatam, vel per tres conformes, quando sequi dicatur, habetur infra in rei judicate particulari sede, *infra in eo discursu. in quo agitur de appellatione, & re judicata.*

De libello, monitorio, & commissione, vel supplicatione, aliave petitione, super causâ, vel iudicii introductione.

SUMMARIUM.

1. Antiquitas necessaria erat rigorosa solemnitas libellorum.
Card. de Luca de iudiciis & judicialibus

- 2 Hodie ubique non videtur necessaria.
- 3 Etiam articuli solent sufficere loco libelli.
- 4 Etiam ubi habetur usus libelli, ejus loco sufficit qualis qualis petitio.
- 5 Actor, reo petente, tenetur declarare libellum.
- 6 De licita cumulatione plurium actionum.
- 7 Sed reo instante tenetur actor se restringere.
- 8 Sententia debet esse conformis libello, nisi clausula suffragentur.
- 9 Quando suffragentur clausula.
- 10 In quibus Curia Tribunalibus libellorum usus habetur.
- 11 In Rota proceditur per viam commissionis, quæ est loco libelli.
- 12 Commissio non extenditur de casu ad casum, vel de persona ad personam.
- 13 De clausula qnam, & quas, ejusque operatione.
- 14 In Tribunali Camera Apostolica proceditur per viam propositionis, quæ est loco libelli, seu commissionis.
- 15 In Tribunali Auditoris Camera proceditur per viam monitorii, quod est loco libelli.
- 16 Quomodo procedatur in Sacris Congregationibus Cardinalium.
- 17 Quid in iudiciis executivis.
- 18 Commissio conditionalis non tribuit jurisdictionem, non purificat a conditione.
- 19 Clausula prima commissionis censetur repetita in aliis.
- 20 Attenditur rescriptum, non corpus commissionis.
- 21 Est surreptitia, non facta mentione litis.
- 22 Quid si adsit clausula cuius statum.
- 23 In causis Rotalibus non datur advocatio.
- 24 Surreptitia commissio non facta mentione transactionis, vel rei judicata, & quando secus.
- 25 Quando accedente commissione advocatoria, alter iudex procedere valeat.
- 26 De necessitate citationis ad dicendum contra commissionem.
- 27 Quando sine dicta citatione fiat communis, & presertim si in plena Signatura, & ad quid.
- 28 De commissionibus appellationis.
- 29 De reproductione Monitorii.
- 30 In Rota sufficit unica commissio.
- 31 Quid si subrogatoria non inveniat.
- 32 In commissione dependente non est necessaria citatio ad dicendum, &c.
- 33 De clausula cum emergentibus, & dependentibus.
- 34 Directa iudici ordinario, an eum faciat commissarium.
- 35 De clausula iustitiam faciat prout de jure.
- 36 In Rota attenditur ultima commissio.
- 37 Quando commissioni censetur renunciatum.
- 38 In quibus causis requiratur monitorium.
- 39 De stylo Sacri Concilii Neapolitani.
- 40 De contracommissionibus, sive de moderationibus commissionum.

DISC. VIII.

Juris civilis dispositione attentata, juxta rigores, vel formalitates, quæ forsân illis antiquis attentis moribus, justum habebant motivum, nobis hodie ignotum pro iudiciorum, & causarum legitima introductione, ac progressu, libellus in quadam solemni forma porrigendus, omninò necessarius erat, cum tali præcisa restrictione, ut quicquid extra illum, iudicari, ac peragi contingeret, inutile esset, Quinimò in plerisque casibus, quod etiam utile videret, atque utrumque processum corrucere faceret. *Marant. in prax. par. 4. distinct. 9. Muscatell. in prax. civil. par. 1. in principio.*

C

Hodie

Hodie verò ubique etiam, ubi libellorum usus adhuc vigeat, à foro, & praxi huiusmodi rigorosæ formalitates exulasse videntur; Præsertim verò à Regni Neapolitani Tribunalibus, in quibus, excepto eo Sacro Consilio, quod Sanctæ Claræ, seu Capuanæ dicitur, in quo per viam supplicationis proceditur in omnibus aliis Curis, & Tribunalibus, habetur usus libellorum; Non tamen viget subiectio antiquæ libellorum solemnitatis, quoniam sufficit eius loco, qualis qualis petitio, dummodo sit talis, ut ex ea, reus conventus deliberare valeat, an cedere vel contendere velit, dum ad hunc effectum, omnes causæ ibi summarie reputantur, quamvis quoad effectum appellationis, vel quoad alia substantialia ordinis iudicarij, causæ quæ sunt ordinariæ, suam retineant naturam *Maranta, & Muscatell. ubi supra.* Quinimò, ubi etiam ista qualis qualis petitio inepta concepta esset, adhuc tamen, ubi subsequantur articuli ad effectum faciendi probationes, per istos talis defectus suppletur, unde propterea apud illos Practicos dicitur volitat, quod causa incipit ab articulis, quod etiam alibi receptum est, *Muscatell. ubi supra Rot. decis. 78. nu. 7. par. 7. rec. ex Oldr. conf. 144. in principio.*

Idemque magis generaliter in inferioribus Curis, & Tribunalibus Status Ecclesiastici, aliarumque Ditionum servari habetur, quoniam causæ, quæ non sint merè executivæ initium habent à libello, qui tamen subiectus non est antiquis solemnitatibus, sed juxta varios stylos, per viam narrativæ, & talis qualis petitionis initiatur.

Adhuc tamen, ea quæ in jure disposita sunt, hodie quoque subsistunt, circa libelli, vel petitionis declarationem, quoties ita Reus instet, ac petat, quando petitio adeo obscura sit, ut resulet supra innuatus effectus, quod scilicet Reus deliberare non possit, an velit cedere vel contendere; Id autem procedit in causis ordinariis, ubi juris civilis dispositio vigeat, secus autem ubi procedatur cum illa juris canonici, vel quod agatur de causis summaris, in quibus non attenditur quid petatur, sed quid probetur. *Muscatell. ubi supra, Mantio. decis. 141. add. ad Buratt. decis. 58. num. 7.*

Sive ubi plura diversa, vel incompatibilia remedia, seu actiones deducantur, quod hodie in vim clausularum salutarium usu receptum est, ut infra in sua sede cumulationis actionum advertitur, *infra disc. 15.* Quoniam Reo instante, adhuc tenetur Actor se restringere ad unum iudicium, sive unam actionem; ne Reus super pluribus evagari, suasque exceptiones parare compellatur, pro iudicis arbitrio, quando æquitas ita exigat, *apud allegatos proximo supra.*

Prout subsistit etiã antiqua regula, quod sententia conformis esse debeat libello, adeo ut extra petita, condemnatio sequi non valeat. Quamvis rarò ista species nullitatis ad praxim deduci videatur, ob clausulas salutes quæ de communi stylo adjici solent; Nempè, *deducens &c. non se astringens &c. & omni modo meliori &c.* per quas deductum, ac intentatum censetur omne pinguius, ac efficacius remedium, vel actio, ex pluribus, quæ de jure competant. *Dunozett. decis. 792. num. 12. Cels. decis. 125. num. 3.*

Suffragatur verò ista cautela, circa actiones, vel remedia, quæ pro eodem jure, vel pro eadem re, intentata fuerint, non autem, ut liceat sententiare in una re, si Actor alteram petiit, cum tunc clausulæ salutes non suffragentur, tanquam accessoria, & consecutivæ, ideoque restringendæ sunt ad specifi-

cata, pro eorum efficaciore consecutione, ne alias detur accessorium, sine principali, quodque (exempli gratia) Actore petente domum, iudex decernat vineam, sive quod illo unam personam induente, Iudex ex altera pronunciet, cum similibus, de quibus infra in singulis iudiciorum, vel processuum speciebus habetur, *infra in eo disc. in quo agitur de sententia.*

In Curia verò iste libellorum usus habetur solum in foro Capitolino, & in aliquibus inferioribus, vel particularibus Iudiciis, quorum tam magna copia habetur, ut in eiusdem Curie relatione inferius advertitur.

In Rota verò proceditur per viam commissionis, quæ Papæ directæ, per eundem, vel respectivè per Signaturæ Justitiæ Præfectum, signatur, ut in eadem Relatione Curie insinuatur agendo de utriusque Signaturæ Gratia, & Justitiæ Tribunalibus; Atque hinc manat, ut ipsum Rotæ Tribunal ordinarium dicatur, singuli verò Auditores dicantur delegati, ut in eadem Relatione habetur agendo de hoc Tribunali Rote, *infra in relatione Curie in disc. 32. in quo agitur de Rota.*

Super illis itaque commissionibus, quæ libellorum vim habent, eorumque loco subrogata sunt, eadem de quibus supra quaestiones cadunt, super restrictione scilicet ad petita; Quinimò strictius de juris rigore in eis procedendum videtur, ex delegationis strictæ naturæ, non patiente extensionem de re ad rem, vel de casu ad casum, sive de persona ad personam. *Gregor. dec. 34. Buratt. dec. 88. & dec. 85. par. 5. rec. in de matrim. disc. 3. & supra disc. 3.*

Verum loco dictarum salutarium clausularum, quæ in libellis adjici solent, adjiciatur clausula *quam & quas*, quæ eodem operatur effectus, ut omnis actio, omneque remedium, vel jus, intentatum censetur. *Cavaler. dec. 475. Gregor. & add. dec. 320. Buratt. & add. decis. 51. & 405. decis. 184. par. 7. rec.* Eadem tamen declaratione cadente, ut scilicet tanquam accessoria, & consequutiva, restringatur ad petita, aliaque à specificatis emergentia, & dependentia, neque ultra se extendat, vel jurisdictionem tribuat. *Gregor. decis. 345. Dunozett. decis. 847. num. 4. & 5. & infra in eo disc. in quo de appellat. & de transportatione actorum.*

In Tribunali autem Cameræ, quod habet Signaturam in ventre, proceditur per viam propositionis, quæ vicem habet libelli, vel commissionis, quod scilicet ea per Actorem facta, in plena Camera, Decanus alicui Clerico committit, vel distribuit causam cum eadem clausula *quam, & quas*, adeo ut ista propositio, cum commissione Rotali, spectato effectu fraternizent, quamvis in vocabulis, vel in formalitate diversificent, *infra in relatione Curie agendo de hoc Tribunali Camera disc. 33.*

In altero Tribunali A. C. & in illo Vicarii proceditur per viam monitorii, quod succedit loco libelli, *Buratt. decis. 109. Ridolphin. in prax. & passim.* Atque eadem clausulæ salutes; quæ in libellis adjici solent, ut supra, pariter adjiciuntur; eademque in omnibus adjici solent, ut supra, pariter adjiciuntur; eademque in omnibus regula, vel declarationes procedunt, adeo ut (ut præmissum est) spectato effectu, omnia tendant in idem, cum sola vocabulorum, vel formularum diversitate, ut magis distinctè advertitur, agendo de singulis prædictis, ac aliis Tribunalibus Curie, eorûque particulari, ac diversa praxi. *inf. in eadem relatione Curie agendo de hoc Tribunali A. C.*

In sacris autem Congregationibus, istæ inspectiones non cadunt, cum revera contentiosa Tribunalia non sint, neque in eis, litium, ac processuum, ve-

ri termini eadant, quoniam more Principis, potius quam Judicis suprema vicaria Pontificis partes gerendo, in forma summaria & extra judiciali procedunt, ut de ipsis in eadem *relatione Curia* agendo advertitur in *dicit relatione Curia agendo de Sacris Congregationibus*. Ac propterea controversia, à memorialibus, vel supplicibus libellis initium habent, neque per sententias, vel per decreta finem causæ recipiunt, sed per resolutiones, vel oracula, pro quorum executione, ordinatis iudicibus rescribitur, si ve jus eos adeundi competit.

17 Procedunt hæc omnia in illis causis, quæ sive ordinariæ, sive summaria sunt, atque sive petitorium, sive possessorium concernant, cum formali tela judiciali initium habente à libello, vel monitorio, seu commissione, ut supra per sententiam definitivam, vel per decretum (quod juxta diversam Judiciorum qualitatem, illi æquipollet) finem accipiant; Secus autem in causis, & Judicis executivis, quæ à simplici citatione, vel præcepto initium habent, pro diversa praxi, vel stylo, ut pariter infra agendo de singulis iudicis specialiter advertitur; Hujusmodi generalitatibus ita in præsentem insinuatibus pro sola indicatione initii vel introductionis causarum seu litium, cum de singulorum Judiciorum progressu, & validitate in eorum particularibus sedibus magis distinctè agatur infra.

18 In Curia autem causis gravioribus, & præsertim Rotalibus, de commissionibus magis agi solet; Potissimè verò ubi sunt conditionales, per illas conditiones quæ per ablativum absolutum concipi solent, puta per clausulam *confitto*, sive per alteram *refectus* vel *parto*, aut cum similibus, tunc illius purificatio seu implementum requiratur, ad effectum ut iudex habeat jurisdictionem, atque procedere possit in causa, cum aliàs dicatur carere jurisdictione, *Gregor. & add. decis. 36. Buratt. decis. 124. & in Relatione Curia disc. 31.*

19 Ea vero quæ in prima commissione apposita sunt, præsertim clausula salutares, repetitæ censeantur in aliis subsequentiibus ejusdem causæ commissionibus subrogatoriis, vel dependentibus dummodo prima commissio non sit de medio sublata. *Coccin. decis. 17. Cavaler. decis. 11. & 264. decis. 104. num. 6. par. 6. rec.*

20 Item in ea attenditur rescriptum, non autem corpus commissionis, quoniam Signatura restringit, *Bich. decis. 198. Buratt. decis. 88.* Sive illa est quæ animat, & informat actum.

21 Subreptitia, vel obreptitia dicitur, nullamque tribuit jurisdictionem commissio, quando non faciat mentionem litis pendens coram alio iudice, cum ita implicitam habeat avocationem, quæ non est præsumenda. *Mantic. decis. 167. Buratt. & add. dec. 74. Bich. decis. 370. num. 23.*

22 Nisi adit clausula *cujus statum, &c.* cum ista operetur sufficientem mentionem litis, *Gregor. & add. decis. 2. Buratt. & add. decis. 794.* quoties tamen non adit res judicata, certa non autem dubia, quo casu non relevat; *Buratt. & add. decis. 187. & dicitur decis. 794.* Sive ubi agatur de causa pendente in Rota, quoniam tunc, licet ista clausula salvet commissionem seu delegationem à vitio subrepetitionis, non tamen concedit, ut lite pendente in Rota, alius exequutor manus apponat, cum id videatur hujus Tribunalis speciale, quod ubi manus appositus, cessent quicumque alii exequutores, sed ipsa Rota succedit loco exequutoris, neque præsumenda sit avocatio nisi expresse dicatur, *pluries subtr. de benef. & infra agendo de executione literarum Apostolicarum.*

23 Sicuti etiam subreptitia est commissio, non

Card. de Luca de judicijs & judicialibus.

facta mentione transactionis, cum ista rei judicate æquipollet; Nisi transactio sit nulla, cuius mentionem facere non oportet, eodem modo quo non oportet facere mentionem rei judicate nullæ, vel notoriè injustæ, quoniam tunc ea revera adesse non dicitur, *decis. 343. par. 6. rec. decis. 52. par. 11.*

24 Avocatoria commissione accedente, alter Judex nulliter procedit, quamvis adhuc non adsit citatio ad dicendum contra, cum appositio manuum Pape, illic tollat jurisdictionem, *apud Bich. decis. 623.*

25 Nisi agatur de revocatione attentatorum, vel de punitione spretus ejusdem iudicis, Aut quod commissio contineat clausulam *dummodo causa non sit instructa*, eaque instruat antè præsentationem commissionis, *apud Bich. ubi supra.*

26 In reliquis autem, generaliter commissio non tribuit jurisdictionem, nisi prævia citatione ad dicendum contra, efficiatur de actis, & communis, cum possit ille, qui eam obtinuit, pœnitere, ac nolle uti *Buratt. & add. decis. 138. & 271.* Nisi eius vigore obtinuerit citationem cum inhibitione, aliove actus fecerit, ex quibus arguatur voluntas utendi, *Buratt. & add. ubi supra. Dunozeri. decis. 664.*

27 Post reproductionem verò, dicitur absque dubio effecta communis *Buratt. & add. ubi supra.* Ac etiam sine dicta citatione dicitur communis, ubi ea signata sit in plena Signatura utraque parte informante *Bich. decis. 617. ubi concordantes.* Quod tamen procedit ad effectum introductionis litis quodque appellatus, invito appellante, illa uti valeat; Non autem ad effectum devolutionis causæ à Judice, à quo ubi agatur de commissione appellationis, ut propterea Judex, à quo remaneat impeditus in causa procedere, *apud Bich. dec. 917. n. si. & plenius dec. 582. n. 9. & seq. ubi concordantes.*

28 Alia verò quæ concernunt commissionem appellationis; Et præsertim, an expedita ante sententiam suffragetur, ac de diligentibus in ea adhibendis, ad evitandam desertionem, agitur infra in Rubrica appellationum, *infra agendo de materia appellationis.*

29 Et de monitorii reproductione habetur in materia citationis, ubi, an, & quando reproductio necessaria sit, *infra disc. seq.*

30 In Rota sufficit unica commissio in *relatione Curia disc. 32.* Atque si commissio subrogatoria non inveniatur, sed ille qui dicitur subrogatus, processit in causa, ea præsumitur, ideoque defectus jurisdictionis non intrat, *Coccin. decis. 2327. & in aliis pluries.*

31 In commissione autem dependente, citationem ad dicendum contra non esse necessariam probabilius videtur, *decis. 264. num. 20. par. 2. rec. ubi declaratur.*

32 Atque circa superius insinuatam conclusionem non dandi extensionem de casu ad casum, vel de re ad rem, seu de persona ad personam, frequenter disputari contingit de operatione clausularum *cum emergentibus, dependentibus, annexis, & connexis, &c.* Veriusque videtur, ut intelligi debeant in his quæ sunt ejusdem naturæ, cuius est ipsa causa, *decis. 104. num. 41. par. 6. rec.*

33 An autem commissio directa judici ordinario, eum faciat iudicem commissarium, advertitur in *disc. cur.* in quo de iudice agitur, *supra disc. 3.*

34 Atque licet clausula *justitiam faciat prout de jure*, nihil de novo tribuere videatur, non tamen limitat facultatem circa expressa in commissione. *Intram non usufructus 17. Februarii 1653. Mellio.*

35 Receptum verò est, quod ultima commissio est attendenda in Rota. *Buratt. decis. 854. Licen. ad. ministrations 23. Junii 1653. coram Cerro, & in aliis.*

37 Disputari etiam quandoque contigit, quando commissiōni censeatur renunciatum, quod regulam certam non recipit cum ex facti circumstantiis pendeat. *decis. 264. par. 8. rec.*

38 In quibus verò caulis necessarium sit monitorium, colligitur ex singulorum iudiciorum sede, vel tractatione, præsertim occasione agendi de iudiciis possessoriis, & executivis, cum pleraque istorum, à monitorio initium habere debeant.

39 In Sacro Consilio Neapolitano adhibetur idem usus Rotæ Romanæ, quod scilicet cause non iniantur cum libello, ut in aliis illius Regni Tribunalibus, sed cum commissiōne, quæ ibi supplicatio dicitur, atque adhibetur illa eadem citatio, quam in Curia dicimus contra commissiōnem, dum ibi dicitur contra supplicata, *incidenter in relatione Curia agendo de Tribunali Rotæ disc. 32.*

40 De reformationibus autem commissiōnum, sive de novis cum præinserta, & de aliis ad materiam commissiōnis causarum habetur in singulorum iudiciorum discursibus, ac etiam agendo de Signatura, ejusque stylis, in relatione Curia agendo de utraque Signatura *disc. 30. & 31.*

De citatione, ejusque legitima executione, ac reproductione.

S V M M A R I V M.

- 1 Non sufficit monitorium, vel decreta citatio sine executione, & reproductione.
- 2 Citatus à iudice incompetente, an illum contemnere possit, & non comparere.
- 3 Declaratur quomodo, & quando id procedat.
- 4 De citationis valida forma.
- 5 De citatione à superiore demandata constare debet citando.
- 6 Citatio iudicis delegati debet continere delegationis tenorem.
- 7 Debet continere terminum competentem, alias non afficit.
- 8 Paria sunt nullam adesse citationem, vel eam non esse bene executam.
- 9 Regulariter debet esse de persona.
- 10 Fallit ubi vigeat stylus faciendi domi, ubi ille stylus vigeat.
- 11 De statutis demandantibus, ut etiam facta domi afficiat.
- 12 An per statutum, vel per Principem tolli possit citatio.
- 13 Contra latitantem, vel alias impediētem ne citetur, citatio habetur pro benefacta.
- 14 Item ubi non pateat tutus accessus, fieri potest per edictum, & quomodo id tali casu practicetur, & de materia citationis per edictum.
- 15 Quando dicatur non tutus accessus.
- 16 Quando impartitio brachii superioris localis sit necessaria.
- 17 An & quando citatio fieri possit in alieno territorio.
- 18 Beneficiatus quando citari possit in loco beneficii.
- 19 Et an feudatarius in feudo.
- 20 Cum procuratore generali in Curia institui potest iudicium in Curia sine citatione Generalis.
- 21 Malum consilium est deputare procuratorem generalem.
- 22 Item pro debito contracto in Urbe sufficit citatio per diligentias.

23 De citatione per contradictas mortuo, vel absente procuratore.

24 In factio notorio, an & quando requiratur citatio.

25 De eadem materia notorii.

26 Confessus coram iudice non est citandus.

27 Quid de obligato penes acta Curia.

28 Declaratur conclusio, de qua num. 27.

29 An intrusus, vel alter, cui certum sit nullas competere defensiones, debeat citari.

30 Non requiratur citatio adversus impediētem de facto, ubi censura adhibeantur per viam defensionis.

31 Non requiratur citatio in iudicio suspensionis fugæ.

32 De aliis casibus in quibus non requiratur citatio remissivè.

33 Citandus est ille qui habeat principale, & immediatum interesse.

34 Defensor necessarius non est citandus.

35 Sufficit agere iudicium cum gravato, absque necessitate citandi fideicommissarium.

36 Ubi sunt plures principales interessati, omnes sunt citandi, & an omisio citationis unius, causet nullitatem etiam quoad citatos.

37 In causa spectante ad Ecclesiam, vel eius statum, qui sunt citandi.

38 De citatione Capituli, vel Monasterii.

39 & 40 Licetum est citare unum pro alio, vel in certo loco, ex conventionione.

41 Quid de citatione Communitatis, vel universitatis.

42 Per quos facienda sit citatio, & de eius relatione.

43 Per ipsum Iudicem fieri potest citatio.

44 An citatio fieri possit in Ecclesia.

45 Quid de citatione qua nullum contineat terminum.

46 Comparitio supplet omnem defectum citationis.

47 Negativa citationis quomodo probetur.

48 Quomodo citatio circumducatur.

49 An defectus citationis allegetur à tertio.

50 Quid de citatione, qua nullam contineat diem.

51 De citatione ad sententiam.

52 An possit fieri die feriata.

53 An debeat continere peremptorium.

54 An unica citatio sufficiat pro tota causa.

55 De circumductione citationis.

56 Facta ex errore contra unum, an afficiat alterum.

57 Quid de facta contra illum, qui duplicem personam gerat.

DISC. XI.

Cum pro litis, vel iudicii introductione, ut in præcedenti discursu advertitur libellus, vel commissiō, seu monitorium, cum decreta Paris citatione non sufficiat, nisi ejusdem citationis legitima accedat executio, cum eius reproductione, qua mediante, Iudex de sua jurisdictione certus reddatur, ideoque citatus non comparentem, contumacem reputare valeat, atque contra eum, servatis de jure servandis, ad condemnationem, ejusque executionem procedat, Idcirco de hac citationis materia pro iudiciorum, seu processuum validitate, frequenter agi contingit; Eaque triplicem habet inspectionem; Præsupposito tamen primario, ac essentiali requisito jurisdictionis, & competentia, sine quo, reliquorum inanis expressio est, quoniam posito defectu jurisdictionis, & competentia, citatus rectè contemnere potest citantem, à quo contumax reputari non potest, cum quoad eum loco privati habeatur; Quoties tamen incompetencia omnimoda sit, adeo ut, actu, & habitu deficiat; Secus autem ubi adit quidem habi-